

XX

24

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
PVRPVRAE VRTICATAE
ET
SCARLATINAE FEBRIS
CONVENTENTIA AC DISCRIMINE

QVAM
SVMMI NVMINIS AVSPICIIS,
IVSSV ET AVCTORITATE

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA,
SPECIMINIS LOCO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE IMPETRANDIS,

D. XIX. OCTOBR. MDCCCLVIII.

ERVDITORVM CENSVRAE SVBMISIT

IOANNES FRIDERICVS CRAMER
KIERSPA - MARCANVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,

EX TYPOGRAPHIA VESTERIANA.

DISSESTITIO INAGARIA MEDICA
PARPARE ARTICATI
SCARFATINA E HERBS
COURTENIAE AC DISCERNIT
SUMMI UNIVERSALIS
URS ET VARIOSTAS
GRATIOSI MEDICOUM ORDINES
IN AGENDA HONORIFICO
PRO GRADU PHOTOKIS
GOTOBURGENSIS LIBRARIÆ
DOMINI MCMXII
JOANNES FRANCISUS CLOMER
IVANUS MAGDEBVRGIAE
THEODORI FELIX ESTERLATA



DISSE^TRAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
DE
PVRPVRAE VRTICATAE
ET
SCARLATINAE FEBRIS
CONVENTI^NIA AC DISCRIMINE.



PROOEMIVM.

Dum, pro capessendis summis
in arte salutari honoribus
ac priuilegiis, de Specimi-
ne quodam inaugurali con-
scribendo cogitarem, illud ipsum nec
adeo

A 2

190

P R O O E M I V M.

adeo tritum ac vulgare, nec ab ipso clinico foro latius distans atque alienum, seligendum expediendumque putaui. Multum quidem atque laudabilissimo utique conamine subactioris iudicii viri peritissimi in eo se desudasse gloriae sibi atque honoris duxere, ut omnis generis morbos penitiori indagine traderent exploratos, omniaque, ad exactiorem eorundem diiudicationem & profundius scrutinium pertinentia, luculentius clariusque in litterarum monumentis exhiberent consignata: interim tamen adeo varia est saepius morbosarum affectio-
num quarumvis indoles ac natura, ut inconsuetis nonnunquam phaenomenis stipatae appareant, inque singulis, ut barbare loquar, individuis discrepant atque inter se inuicem aliquo modo se iunctae videantur, adeoque diligentioribus practicarum occupationum obser-vatoribus materiem praebeant, prolixius denuo in easdem inquirendi, ipsumque artis salutaris ambitum vterius exten-

8000

P R O O E M I V M.

tendendi & amplificandi. Praeterea occurunt etiam morbi nonnulli, quorum mentionem non adeo frequenter in Practicorum libris factam esse deprehendimus. Verum enim vero illud hac potissimum ex ratione euenisse existimo, quod vel parum iisdem vexatos videas mortales, vel, quod palmarium fortasse est etiam momentum, ordinarie minus alere soleant periculi, adeoque passim in Practicorum litteris fuere neglecti. Atque his praecipue accensenda erit *Purpura vrticata & febris scarlatina*, ut pote de quibus, si ab illustris *Michae-
lis ALBERTI* & illustris Domini Pro-
fessoris IVNCKERI operibus medicis
practicis recedas, parum saltem aut ni-
hil in aliis Medicorum, non minus cele-
berri morum, scriptis inuenias obserua-
tum expositumque. Quae igitur cum
ita sint, haud inique me facturum ar-
bitratus sum, si, maiorum ex ritu con-
suetudineque, pro solenni Specimine in-
augurali exhibendo & pro lauro docto-

A 3 ral

6 De Purpurae vrticatae & scarlatinae febris

rali consequenda, de Purpurae vrticatae atque scarlatinae febris conuenientia ac discrimine, earumque causis ac mendendi rationibus impraesentiarum commentarer, indolemque illarum exactius, quantum quidem per temporis spatiique compendium fieri poterit, indagarem. Benedicat studiis his qualibuscunque supremus huius vniuersi arbitrus, faxitque clementer, ut labores nostri in sui gloriam proximique commodum atque salutem vergant.

§. I.

Anteaquam specialiorem *Purpurae vrticatae* adumbrationem eiusdemque penitus exhiburi sumus examen, ipsa nobis subministranda est affectus huius delineatio vel definitio, ut dein, hac suppeditata, quantum differat a febris scarlatinae indole ac natura, quantumve communionis consortiisque habeat cum eadem, paulo curatius & attentius introspiciamus. Est ergo nobis *Purpura vrticata* morbus exanthematicus, vel cum, vel sine febrili commo-

motione subiecta, praecipue iuniora, plethorica, & spongiosiorem mollioremque corporis texturam naecta, infestans, atque protuberantiis tumidis fugacibusque nonnunquam, laesionum, ab vrticarum percussione inflictarum, formam referentibus, tam in facie, quam reliqua pa-
sim corporis superficie fese manifestans.

§. II.

Haudquaquam vero affectum hunc nostrum purpuratorum morborum familiae accentendum dubitamus; atque idem laturos esse iudicium speramus, qui rationes nobiscum pensabunt, pro stabiliendo hoc asterto militaturas. Patet illius veritas ex phaenomenis, quae purpurae vrticatae cum reliquis purpuratis affectibus sunt communia: Protuberantiis quippe, in corporis superficie & ambitu, papularum ad instar, sub febrili commotione, efflorescentibus; facilis, ex qualicunque etiam leuiori interdum caufa, ad interiora retroactione; inuasione sub certis anni temporibus vtplurimum contingente; simili fere mobilitate, qua alii gaudent purpurascentes affectus; diagnosi & prognosi fere aequali, nisi quod in hoc affectu mitioris atque benignioris esse soleat indolis; euacuationibus, quibus terminatur, criticis fere iisdem; hisque demum accedit eadem maxima ex parte, qua ceteri purpati morbi coercentur, medendi

di methodus, in hoc adfectu itidem obseruanda; ac palmarium denique signum, vnde pro peculia-
ri purpurae specie eam agnoscimus, illud esse ar-
bitramur, quod ibi, illisque locis solennior vul-
gationique deprehendatur, subiectaque etiam fre-
quentius corripiat, vbi purpurati morbi usitatus
crebriusque grassantur tyrannidemque suam in
mortali genus exercent. *Urticatum* vero co-
gnominauimus ab analogia, quae luculentius per-
te in oculos incurrit, cum protuberantibus ma-
culis & eleuationibus, in corpore nostro tunc ap-
parentibus, si eius superficiem vrticis, teneriori-
bus suis spiculis nobis admodum imimicis, percu-
tias. Quod exanthematicus vero sit morbus, nul-
la fere eget demonstratione: dum vel apud anti-
quiores, etiam ipsos medicinae parentes, **HIP-**
POCRATEM, **GALENVM**, ac **CELSVM**, gra-
uioribus & intricatoribus cutis efflorescentiis
exanthematum nomen attributum deprehenditur.

§. III.

Sicco pede in praesenti tractatiuncula trans-
ibimus quaestionem: An huius purpurae vrti-
catae aliqualis iam mentio veteres inter Medi-
cos interiecta constet, nec ne? Perinde enim
id ipsum nobis esse poterit, hoc tantum expe-
dituris, vt in exactiori huius affectus scrutinio
nostra versetur oratio, quo dein & conuenien-
tiam & discrepantiam cum febre scarlatina
su-

subiungendi ipsamque postremo medendi methodum adnectendi copiam consequamur & opportunitatem. Interim vero, ne vitii ex hac parte commissi accusemur, fontem dabimus, vnde huius capitis ac momenti plures defumi possunt obseruationes, Dissertationem, sub illustris Michaelis ALBERTI praesidio, de *Purpura vrticata*, anno MDCCXIX. Martio mense in hac musarum sede ventilatam, quae ampliora & prolixiora tradidit testimonia veterum aequo ac paulo recentioris etiam aetatis celeberrimorum Medicorum, ex quibus apparet, iam priscis temporibus quoque hoc morbi genus mortalibus solenne fuisse.

§. IV.

Nunc ipsa nostri affectus inuasio phaenomenaque, quibus comitari solet, nobis sunt expedienda atque diligentius enumeranda. Primi itaque, quibus aggreditur subiecta, insultus ita se manifestant, ut de moderationis tantum refrigerationis sensu, seu horripilatione, totum corpus occupante, conquerantur, accedente praeterea capitis ac virium aliquali leuiorique lassitudine ac languido torpore: moderatus dein subsequitur aestus, cum vehementi prurigine atque tensu quasi tam faciei, quam reliquae corporis superficie, sensu dolorifico coniunctus; donec demum istae eleuationes in cu-
B te,

10 *De Purpurae vrticatae & scarlatinae febris*

te, iictu vrticarum inflicitas laesiones referentes, apparent, quae tam cito augmentum capiunt, vt vultum, ob intumescentias praeternaturales, ex pallido roseum colorem induentes, vehementer deformant. Hae maculae diurno tempore per interualla saepius evanescunt, quo facto & febres etiam commotiones mitigantur. Vespertinis vero horis paroxysmus non recrudescit solum, sed etiam exacerbatur, illaque ardens atque tensiva quasi cutis eleuatio de nouo recurrit. Interim vero ipse hic morbus facile tollitur, vtpote per aliquot plerumque dies, etiam si febre stipatus sit, tantum durans. Post haec vero tandem, tenerim squamulis ab adficta parte separatis, pristina cuti restituitur naturalis conditio.

§. V.

Iam vero iis, quae ad historiam morbi eiusque insultus ac phaenomena pertinebant, strictim expositis, ordinis ratio ulterius postulat, vt porro in enodanda eruendaque *proxima causa*, quam vocant, *formali*, hunc affectum inducente, nostra iam occupati simus oratione. Ponimus vero hanc in sola humorum, & abundantia, & crassi ac mixtione peccantium, exagitacione, nimiaque inde simul subsequente eorundem resolutione, vnde, cum plethora semper praefto sit, sanguis, tali orgasmo con-
cita-

citatus & magis magisque resolutus, in vltima
vascula violenter cogitur, adeoque harum pro-
tuberantium macularum mater existit atque ge-
nitrix foecunda; id quod exemplo pueri, an-
tea fani, sed plethorici, manifestius mihi inno-
tuit, qui ex repentina sanguinis orgastica com-
motione, laboribus, citius absoluendis, inducta,
hoc corripiebatur morbo, ijsdem phaenomenis,
vt in antecedente §. descripsi, stipato.

§. VI.

Ne vero temere aliquid adseuerasse videa-
mur, dum plethoram commotam principalem
huius purpurae causam accusavimus; rationi-
bus nostram stabilituri sumus sententiam: quod-
si quippe nimia sanguinis moles vasa occupa-
vit, eadem tali ratione vltra modum omnino
vt distendantur violenter necessario sequitur.
Sed quid inde? Decenti tunc vasa priuantur
resistentia ac robore suo naturali. Hoc vero
perditio, tardiori per vasa ipsa cursu ruunt ac
volvuntur humores, vnde sanguinis demum
spissitudine suos capere solet natales. Ex spissi-
tudine, sanguini ac humoribus inducta, no-
num dein velut propullulat malum, sanguinis
nempe, ob retentas impuritates aciores, in
statu naturali excernendas, inquinatio, mixtio-
que deprauata; quod vero inquinamentum,
cum venosum praecipue inficiat & corrumpat

B 2

fan-

12 *De Purpurae vrticatae & scarlatinae febris*

sanguinem, tam diu non morbiferum euadit, quamdiu ipsa plethora non commouetur. Hac vero qualicunque ex capite exagitata & in ebullitionem coacta, prohiberi amplius nequit, quo minus ad vasa, ex humorum nimia mole debilitata, fiat celerior congestio & ipsa demum congestorum humorum in ultimis vasculis stagnatio, vnde eminentiae istae, papularum ad instar, exsurgunt eleuanturque in corporis ambitu, pruriginosum illum & leuiter ardentem, ex statu quasi inflammatorio praesente, excitantes sensum.

§. VII.

Probata dedimus §. antecedente asserta nostra, plethoram commotam vt proximam omnino huius purpurae vrticatae causam formalem esse accusandam: exhibuimus praeterea strictum effectus, ex abundante hac sanguinis humorumque corporis nostri mole oriundos. Nunc itaque porro vterius etiam ipsa *cause*, quae vocatur, *materialis* penitior exploratio restat inpraesentiarum expedienda. Ipsam illam vero in acri quodam, ad sulphuream indolem magis accidente, tam ferosorum quam lymphaticorum humorum inquinamento si ponimus, haudquaquam longius a vero nos esse aberraturos existimamus. Etenim ipse ille status plethoricus quietus vt acrimoniae sulphureae

reae in humoribus prouentui quam maxime faveat, inde necessum esse putamus, dum ob tardiorum per genus vasculofo-venosum circulationem, ipsamque adeo per istud maiorem humorum accumulationem, robur naturale illius qualitercumque imminutum destructumque redditur, vnde particulae ferosae, ab humorum massa depuranda, excernendaeque per congrua cutis emunctoria, retinentur, ipsos humores tali modo qualicunque cacockymia inficientes aequae ac deteriorantes.

§. VIII

His, quod nostrum erat, absolutis, porro, vt ordinis ratio exigit postulatque, ad ea nobis transeundum erit, quae *remotus* affectui nostro gignendo seminia praebere possunt. Atqui huc primo statim loco pertinet referenda que est *aëris constitutio*, specialius a nobis definienda, quae qualisque in primis accusari poslit ac beat. Non dubitamus, *aëri calido*, quippe expansiua resolutoriaque sua indole quam facillime humorum massam in rapidiorem ac excedentem motum coacturo, hoc vitii esse tribuendum, quod producendo nostro affectui egregie patrocinatur. Interim non minoris damni est *aëris humido·calidi qualitas*, quae, sufflaminandis salutaribus excretionibus quam maxime apta, aquosas in humoribus partes retinet

B 3

14 *De Purpurae vrticatae & scarlatinæ febris*

tinet, ipsum transpirationis periphericae beneficium grauius interciendo, augendo impuritates, salutari hoc naturae negotio eliminandas, sulphureamque adeo acrimoniam latius atque maiori copia diffundendo, qua, concurrentibus dein vel leuioribus caufis, resolutorius effectus citius accelerari potest. Ipsa experientia etiam assertum nostrum satis confirmat, qua docemur ex practicis Medicorum obseruationibus, nunquam citius ac frequentius vrticata hac purpura mortales adflictos correptosque iri, quam si tempestatum varietates regnant, aërisque vicissitudines saepius ac derepente subsequuntur, malam partim crasin, partim consistentiam depravatam humoribus conciliantes, eosdemque adeo ad futuram inimicissimam corruptionem quasi praeparantes ac disponentes, vnde, vti nostrum, quem commentamur, morbum, sic & alios ex purpurtorum familia, sive benigniores, sive maligniores, pro diuersa perniciosi inquinamenti, in humoribus haerentis, quantitate ac qualitate, habemus oriundos.

§. IX.

Vlterius in exactiorem *causarum*, quae occasionalium nomine in Medicorum scholis insigniuntur, indagationem descensuri, quam maxime fere omnium accusandas putamus inconsuetas

Fuetas immoderatasque corporis commotiones, futuras fere semper, quemadmodum variii haud raro inflammatorii schematis febrium, sic & hu- ius purpurae foecundissimas genitrices; dum fieri non potest, quoniam plethoram semper praesentem ponimus, quin abundantes isti, tam copia peccantes, quam qualicunque peregrina heterogeneaque materia salino-sulphurea infecti humores subtilius resoluantur, vnde dein facillimus eorundem exagitatorum in terrima vascula cutanea contingit promouetur que transitus. Fidem facturi assertis nostris casis cuiusdam, ex hoc capite omnino memorabilis, mentionem interiiciemus, qui ante complures iam iam annos ad Illustris Fridericianae gratiosum Medicorum ordinem a Medico iu- niore, huius affectus nondum satis conseco, fuit transmissus, qui verno tempore fauente que sole in horto suo laboribus, terram quippe fodiendo, corpus exercebat, donec exae- stuatum sudore difflueret: verum enim vero afflauit illud simul ventus inclemens asperiorque, qui derepente inopinatum horrorem, totum corpus occupantem, produxit, quo fa- cto, domum suam confestim repetens, protinus in hunc morbum incidit.

§. X.

Nec desunt porro etiam ex esculentorum
&

16 De Purpurae vrticatae & scarlatinæ febris

& potulentorum familia, quibus vel massa humorum eiusmodi peregrina & heterogenea materia inquinatur, vel mole abundans ac simul iam qualitercumque infecta, ob stimulantes acres particulas, sanguinem ad orgasmam ebullitionem concitantes, quam maxime vehementissime exagitatur ac perturbatur. In hunc censem praecipue veniunt omnia, quae ex aromatum prosapia sunt, vel ex longissime diffatis orbis terrarum regionibus ad nos transportata, vel in ipsa etiam patria nostra natale solum sortita. Ex altera vero parte luxuriosum ac libidinosum diaetae genus, frequentior lactis, laetieiniorum ac iusculturum pinguium gelatinosorumque gallinaceorum usus, abundantiam sanguinis inferendo, praesentem vero augendo, feminium illud spargunt, quod larga messe purpuratum hunc affectum producit. Sic enim iuniores puerperas plethoricas, cerebrius concentrationibus eiusmodi gelatinosis aromaticisque iusculis enutritas, sub molliori hac scrupulosa que sustentatione in hunc morbum esse delapsas, plures Medicorum, artis suae exercitio celeberrimorum, testantur observationes. Quibus iam iam fusi disputationis adhuc subnecctere liceat ipsa potulenta commoventia ac spirituosa, utpote causas, hunc affectum frequentius non procreantes solum, sed & omnia eius symptomata, alias mitiora periculique sub legitimo de-

decurso plane expertia, ita augentes, vt sub eximio aestu multaque animi & corporis inquietudine, atque concurrentibus saepius mentis abalienatione deliriisque, vix mortis periculum superent adflicti feliciterque eluctentur.

§. XI.

Progressuris nobis ad aliam causarum occasionalium speciem, offerunt sese *animi pathemata*, & ex iis praecipuo loco ponenda erit *iracundia*, effectibus suis oeconomiae nostrae animali quam maxime infensa pestiferaque. Quemadmodum enim ipsos humores nostros, grauissime concitando commouendoque, infelicissimis omnibus laedere solet atque in rapidissimum motum circulatorium cogere; sic & ob inundationes copiosioresque effusiones biliosas, in ipsam massam sanguinis delatas, illamque acri ac perniciose inquinamento imbuentes, nocet, mixtionique illius deleteriam materiam communicat, quae, vt aliis variis generis afflictionibus morbosis somitem ac primas porrigerre potest origines, sic & nostro affectui demum, latitante iam & tacite serpente per humores apta accommodataque acrimonia, emitendo infaustos addit tribuitque re ipsa effectus.

§. XII.

Temperamenti, aetatis, sexus, vitaeque generis respectum denique si habituri sumus,

C

vt

18 *De Purpurae vrticatae & scarlatinae febris*

vt experientia practicisque obseruationibus, ita ratione ipsa etiam constat, mere sanguineos, sanguineo-phlegmaticos, sanguineo-quecholericos, vt pote tam in diaeta, quam regimine negligenteres minusque studiosos, purpurae huic vrticatae prae aliis obnoxios futuros existimamus. Non facile vero in prouectiorem aetatem cadere hunc morbum, historia practica nos docet, quandoquidem iuniora magis subiecta, vel in infantilibus puerilibusque annis, vel in adolescentili ac iuuenili aetatis periodo constituta, facilius hoc affectu comprehenduntur vexanturque, quam alia, in plurimum annorum stadio vitam degentia, quae vel rariſſime saltem correpta deprehenduntur. Quoad ipsa autem, vt ita loquar, indiuidua, sexus ratione, foeminiūm genus prae virili numerosius frequentiusque adgressum videbis hoc malo purpurato. Id quod confirmat quoque, purpuram vrticatam omnino purpuratorum familiae iure meritoque inferendam esse, quoniam, vt reliqui omnes huiusmodi adfectus solenniores sunt sexui sequiori, quippe natura corporisque textura teneriori sensibiliorique, sic & nostra, quam tractare suscepimus, species illum, animo & corpore masculino longe molliorem, facilius frequentiusque inuadit. Quod vero ipsum postremo concernit vitae generis momentum, illud nulla fere eget peculiari

liari mentione, dum solum mobile vitae genus, quod exaestuationes, exagitationes ac spume-facientes quasi humorum commotiones producit, accusandum est vt causa occasionalis nostri affectus, tanto facilius in plethoricis & qualicunque acri humorum disponente inquinamento laborantibus re ipsa subsecuturi. Interim vero non omni vitio laborat sedentarium etiam vitae genus, quod ex hoc saltem capite genesi nostri affectus fauet, plethoram sub tali quiete non inuitando solum, sed praesentem iam adhuc magis etiam magisque augendo.

§. XII.

Cognitis vero iis, quae de causis, tam proxima & materiali, quam remotius disponentibus adhuc disputata fuere, porro nobis progrediendum est sine amplioribus ambagibus ad ipsam *prognosin* huius virticatae purpurae, quae periculi omnino expers est, & inter ceteras purpuratas afflictiones benignissima; dum, si rite legitimeque decurrit, lenis illius est invasio, progressus moderatior, ac decursus facillimus, adeo, vt, regimine modeste diapnoico seruato, aliquando ne medicamentis quidem egeant subiecta, praesertim si febrem non comitem habeant. Verum enim vero quando febrilibus commotionibus stipata est haec purpura, facile iam per se patet, tunc posteriorem hunc statum intricatiorem molestioremque fore.

20 *De Purpurae vrticatae & scarlatinae febris*

fore. Quotiescumque enim cum febre inuadit haec purpura, toties praecurrit breuior saltem horripilatio, at rigoris expers, superueniente insimul obtuso & clandestino dolorifico temuloaque capitis sensu; hunc excipit dein, qui ex capite sensim totum reliquum corpus per-
vadit, calor insolitus, licet non insigniter acer-
bus, nisi eminens adfuerit plethora & ad orga-
sticos humorum motus singularis proclivitas,
nique vehementiores animi tumultus praecesse-
rint, aut inebriations spirituorumque potu-
lentorum crebriores ingurgitationes: vnde ae-
stu vehementior, torpor viriumque defectio
magis suspecta, adpetitus prostratio maior, no-
tabilior somni turbatio & interceptio, sitis in-
tensior, difficilior & magis angusta respiratio,
vrinaque saturatius tincta subsequuntur, mor-
bumque periculosorem reddunt. Sic & plus
attentionis atque circumspectionis Medico opus
est, quodsi cum aliis morbis, vt saepius etiam
fieri solet, iuncta sit haec purpura. Nonnun-
quam enim catarrhalibus morbis, pro varians-
tis inconstantisque tempestatis regiminisque in-
dole, complicatam; nonnunquam vero etiam
alternantem cum purpura miliari deprehende-
runt practici obseruatores. Interea, superato
hoc affectu, celerius in gratiam cum pristina
sanitate redeunt subiecta, integratatemque suam
plenariam facilius promptiusque recuperant,
ne-

neque se adeo scrupuloſo regimini, praeferuandeſ ſecidiuae cauſa, accingere debent, quam poſt alios morbos exanthematicos perpeſſos ſublatosque.

§. XIV.

Expositis vero iis, quae tam ad historiam & phaenomena, adfectum noſtrum concomitantia, quam ad pathologicas rationes ipsamque prognofin pertinent, ſuperēſt adhuc *practica pars*, a nobis ſtrictim ulterius abſoluenda. Si cauſam tam proximam formalem, quam ma-terialem attentius exploramus, ac reliqua ſimul concurrentia phaenomena ſymptomataque penitius ſcrutamur, facile inde iudicari potest, *tribus* potiſſimum totum huius Purpurae vrticatae curationis momentum inniti *fundamentis*, fi-ve, vt medico termino utar, *indicationibus*: vt quippe *orgastica humorum commotio* contemperetur; acris & fulphureae indolis *materia peccans* inuol-uitur corrigaturque; ac denique praeparatum correctumque hoc *acre miasma* per *congrua emunctoria* ſeparetur, eliminetur ac remoueatur.

§. XV.

Expediendis hisce formatis ſtabilitisque indicationibus optime ante omnia ſatis fieri putamus per diluentia aquoſa, infuſa nimirum & decocta mucilaginoſa, acre illud fulphureo-falinum, in humorum maſſa haerens, principium inuoluentia & corrigentia, quibuscum or-

C 3

gas-

22 *De Purpurae vrticatae & scarlatinæ febris*

gasmum excedentesque sanguinis motus con-
temperantia ac teneriora absorbentia, cum fi-
xis diapnoicis iuncta, simul combinanda sunt.
Si febris non comitatur hanc purpuram, dia-
pnoicae saltem mitiores essentiae admitti pos-
sunt, inter quae in primis essentia Pimpinel-
iae albae, aliis eiusmodi temperatoris indo-
lis essentiis nupta, optimo cum effectu milita-
bit, dum praeparata & correcta materia pec-
cans eius beneficio ad peripheriam & superfi-
ciem corporis leni motu translata, successiue
cum bonis aegrotantium rebus eliminatur ac
remouetur. In teneriori aetate, ad acriorem bi-
liosam sulphureamque humorum inquinationem
temperandam, conuenientius vix ullum aliud
exhiberi poterit remedium crystallo montana,
aut coralliis rubris praeparatis, pulueribus, iun-
cta nitri & cremoris tartari moderata portione,
adiiciendis, quippe quae posteriora salia simul
ardorem pruriginosumque sensum urgentem le-
niunt egregie remissio remque reddunt. Deni-
que etiam blandiores frictiones bono cum le-
vamine possunt interponi, quae non modo de-
mulcendo pruritui egregie conueniunt, sed &
ad conseruandam in corporis superficie purpu-
ratam efflorescentiam quam maxime pariter
sunt accommodatae. Quin imo tunc etiam, si
metus de retrocessione harum elevationum, in
cute apparentium, virget, in usum vocandæ
sunt

funt tales calidae frictiones, ne ad interiora, partes quippe nobiliores, recedant periculumque inferant; si vero iam recesserint, vt minori tali adminiculo denuo expellantur & placida transpirationis promotione iterum prouocentur.

§. XVI.

Haec funt praesidia, huic affectui sub legitimo eius decursu opponenda. Rem vero aliter comparatam esse, si aliae morborum complicationses aliaque accidentia concurrunt, hoc ipsum per se dijudicatu erit facillimum. Tunc enim medentis iudicio practico subactiori opus est, vt secundum rerum circumstantium rationem, symptomatumque indolem succurrere, ac tempestiu[m] & securum auxilium, quod siuum est, ferre nitatur. Quando ergo ex nimia frictione seu scalptura ipsorum aegrotantium forte dolorifica ac ardens cutis excoriatione inducta est, tunc praeter iam commendata continuandaque remedia temperantia & dia-phnoica, vnguenta, ex pinguedinoso-mucilaginosis, mundificantibus & exsiccantibus parata, in subsidium vocari possunt, quamquam vix unquam topica, nisi in solo hoc statu, suadere ausim. Diarrhoea, interdum huic purpurae se se associans, non oppugnanda est fistentibus, seu adstringentibus remediis, sed lenioribus saltem, si excedere videatur, tonicis ac roborantibus

24 *De Purpurae vrticatae & scarlatinæ febris*

tibus. Segniori vero alio praesente, siue primæ viae impuritatibus sunt replete, lenissimum saltem laxans rhabarbarinum vel mannatum optime conueniet, fugiendo omnia purgantia, fortiori stimulo acuata, imo ipsos eiusmodi clysteres, vnde exanthematum facillima vixque arcenda subsecutura est retrocessio, sub qua dein inimicum materiae peccantis venenum per humores diffunditur, illosque ad corruptionem magis proclives reddit. Nec fert etiam adfectus noster diaphoretica actiuiora, aromatica acria, & balsamica concentratiora, yolatilea, admodumque resoluentia remedia, ac denique etiam regimen calidius & aestuosum, quibus omnibus materia peregrina nocens, cum humoribus magis magisque subtilior facta, eo maligniorem nanciscitur indolem. Reliquorum autem, quae forte adhuc supersunt, cum ea inferioris momenti existimemus, diffusiori ampliorique commemorationi, ob circumscriptos dissertationis huius limites, inpraesentiarum superseedebimus.

§. XVII.

Quae *praeseruationis* purpuræ nostræ vrticatae auxilium ac consilium suscepturno Medico sunt agenda, facile nunc, citra ulteriores verborum ambages, subiuncturi sumus. Si aetatis ratio non contraria sit, optime, nimia humorum abundantia praesente, sanguinis ventila-

tilatione, tempestiuē instituta, praecaueri posse
hunc adfectum per se patet; quum enim in ipsa
plethora prima stamina seminumque, mor-
bum hunc, si commota & exagitata fuerit, de-
repente saepius inducētura, lateant, prudenter
tali modo somes supprimitur eiusque radices
praescinduntur ac extirpantur. Praemitti
etiam possunt ac debent cholagogā praecipue
remedia, ad remouendas in primis, quae a Me-
dicis vocantur, viis haerentes impuritates, ma-
xime autem biliosas, quae, ad ipsam sanguinis
massam cum chylo inquinato transeuntes, acri-
moniae illius sulphureo-salinae foecundissimae
euadere solent genitrices. Id ipsum remedium
conuenientissimum etiam erit eorum praefidium,
quorum aetatis teneritudo venam secare non
permittit. Praeterea quoque ex absorbentium
familia ea, quae tenerioris sunt substantiae, seli-
gantur, &, vt superius commendata fuere,
subinde tam adultis, quam iunioribus offeran-
tur. Quoniam etiam porro laesa transpiratio-
nis functio multis variisque morbosis adflictio-
nibus, mortalium genus diuersimode oppugnatibus,
apta ponit fundamenta, adeoque & hu-
iūs morbi, eiusdem beneficio intercepto ac per-
turbato, mater existit facile atque amica; hinc,
ad obtinendam hanc praeseruationis tutelam, eo
semper respiciendum est, vt quaelibet diligentius
exactiusque vitentur, quae salutarem hunc na-

D

tu-

26 *De Purpurae vrticatae & scarlatinæ febris*

turae actum, quo impura & superflua humorum nostrorum pars, ne illorum mixtio ac crasis vitietur conueniensque sanguinis blandities acrimonia noxia inquinatur & euertatur, continuo a reliqua massa separatur atque eliminatur, qualitercunque interrumpere ac laedere possunt. Ex animi pathematibus ira inprimis vita est, qua quippe humorum vehementissimae excitantur commotiones, biliosaeque inprimis effusiones, quibus sanguinis massa acrioribus heterogeneis particulis inquinatur, sive a decenti bona sua mixtione recedit & impura euadit, vnde, vt alii adfectus, sic & nostra purpura suos recipere solent natales: quemadmodum id supra iam fusi penitusque probatum dedimus. Quod ad diaetam vero attinet, facile, quae & qualis illa esse debeat, definire possumus. Quum enim plethora, foecundissima illa morborum mater, arcenda sit, omnia ea studiosius fugienda erunt, quae hanc inferre possunt. Exulet igitur luxuriosum ac libidinosum viuendi genus, quod genesi huius purpurae, plethoram praecipue inducendo, eximie fauet, id quod memorabilis casus etiam confirmat, quem in practicis obseruationibus Medici, artis suae exercitio famigeratissimi, cuius nominis vero non amplius recordor, consignatum deprehendi, vbi subiectum quoddam purpuram hanc vrticatam plus vice simplici ex nimio potu

potu Choccolatae sibi concitauit. Sit igitur diaeta temperata ac mollis, diluens & mucilaginosa magis, quam lauta ac luxuriosa. Alius vero prona, aperta ac bene succedens conservetur. Potus diluens sufficienter hauriatur, spirituosaque, crebrius in primis ingurgitata, omnimode euitentur. Coelum serenum aërisque qualitas temperatior feligatur, ne transpirationis successus quomodo cunque turbetur aut intercipiatur. Tandem etiam magis mobile feligatur vitae genus, sine tamen aestuosis & excedentibus corporis commotionibus, cuius ope tam secretiones, quam excretiones promptius liberiusque succedunt, nimiumque humorum augmentum optime praecaueri potest.

§. XVIII.

Absoluta tractatione tam historica, quam pathologica & therapeutica, siue curatoria purpurae vrticatae, nunc ea adhuc strictim nobis vltierus exponenda restant, quae ipsam, quam exhibuti sumus in praesentiarum, *disscrepantium* inter *scarlatinam febrem* & *purpuram nostram vrticatam* proprius spectant. Tanto expeditiores vero & breuiores esse nobis liceat in subeundo hoc officii genere, quanto minus alter morbus ab altero differt ac recedere solet. Familiaris potissimum est scarlatina febris subiectis iunioribus, praecipue infantilis & puerilis aetatis, cum e contrario vrticata purpura in hac aequa

D 2

ac

9851

28 *De Purpurae vrticatae & scarlatinae febris*

ac adultiori & magis consistente aetate indiscretim occurrat. Nomen suum fortita est illa febris a maculis, totum corpus occupantibus, intensius rubicundis, crebrioribus ac multo latioribus, nullo modo protuberantibus, sed prorsus planis, mox disparentibus, mox denuo redeuntibus, quibus in primis haec febris se se distinguit ab vrticata purpura. Praeterea quoque usitatus illa calidiori tempore aestiuo occurrit, corripitque subiecta, ut purpura vrticata, cum horripilatione mitiori, totum corpus peruadente, cui dein succedit moderatus aestus, concurrente siti viriumque leui debilitatione. His omnibus iungitur dein molestus in corporis superficie sensus grauatiuus, cum difficultiori respiratione; quo facto tertio aut quarto circiter die, post aliqualem superficie corporis intumescentiam, maculae hae latiores, non eleuatae, intensius rubentes, & scarlatinum colorem aemulantes, sine pruritu manifesto, in quo adeo etiam aliqualis inter purpuram vrticatam & scarlatinam febrem consistit differentia, prodeunt, postmodumque circa septimum diem penitus iterum euaniescunt, cum furfuraceis quasi squamis in cuticula secedentibus, atque successu ipsarum commotionum febrilium decremento.

§. XIX.

Quemadmodum autem parum differt haec febris a purpura vrticata ratione invasionis suae

suae atque symptomatum, nisi quod ipsius maculae aliter comparatae sint, dum in vrticato morbo eminentiores atque eleuatiōres, volatilae magis ac vagae, saepiusque stationem suam deserentes notantur; deinde quod iunioribus tantum subiectis, infantilis & puerilis aetatis, magis propria sit haec febris, insuperque semper fere aestiuo tempore occurrat subiectaque adfligat: ita e contrario *causarum* ratione, tam proximae, quam remotius disponentium, multum habet cum purpura vrticata communio-nis & conuenientiae. Quae autem cum ita sint, non detinebimus lecturos longiori ac prolixiori earundem commemoratione, cum quae vel proprius, vel remotius etiam ad purpuram vrticatam excitandam ac proli-ciendam contribuere solet; eadem & huic febri scarlatinae quoque inducenda quam maxi-mē faueant atque accommodata sint. Cum vero adeo manifeste inter se inuicem conspi-rent, fieri non potest, quin eadem quoque *prognosis* ferenda sit, qualis de purpura vrticata superius iam a nobis subiuncta est. Interim ta-men circumstantium rerum indoles ac natura, quam benigne etiam haec febris, sibi relicta atque legitimo modo tractata, alias decurrere ac deferuere soleat, facile interdum scenam mutare possunt tragicumque inducere eventum. Quip-pe in humorum massa vel adesse potest maior

D 3

ma-

30 *De Purpuree vrticatae & scarlatinæ febris*

materiae peregrinae peccantis copia, vnde, vt symptomata
vtique vrgentiora emergant ac periculofiora, ipsumque euen-
tus discrimen anceps ambiguumque euadat, necesse est; vel
ipsa illa materia acris peregrina peccans deterioris malignio-
risque est indolis, hacque ratione, si forte etiam in minori
quantitate praesens fuerit, corruptionem plenariamque inter-
dum dissolutionem humorum producit. Testantur hoc ipsae
quoque practicae obseruationes, siquidem nuperrime, elapsò
anno, ipsam hanc febrem scarlatinam aestiuo tempore epide-
micam quasi stragem in hac Mufarum sède edidisse constat.
Neque etiam sine periculo ac vitae discrimine tunc grassata
fuit, dum complura symptomata suspecta admodumque son-
tica complicata erant, adeoque a posteriori etiam manifestius
deteriorem atque inimicam suam indolem abunde satis demon-
strauit.

§. XX,

Verum enim vero non minus quoque periculi pertime-
scendum est, si inconueniens parumque circumspeta & ac-
commodatior adhibetur medendi methodus. Etenim ipsa
haec febris species, cum temperatiora saltem ac mitissima
diapnoica, ad inuitandum in corporis peripheriam virus pere-
grinum peccans & inimicum, perferat, quo dein e congruis
viiis ac emunctoriis cum aegrotantium salute proscribatur, sic
que humorum massa inde depuretur: longe omnino aliter se-
gerit, si fortioribus commouentibus & calidioribus alexi-
pharmacis tractetur; tantum enim tunc abest, vt releuctur
aeger tali medendi methodo inconsiderata, vt potius, eadem
adhi-

adhibita, omnia in peius ruant. Facile enim apparet, bezoardicis eiusmodi acrioribus ac calescentibus remedii orgasmum humorum atque febiles commotiones, praesentes iam vigentesque, intendi non solum & quam vehementissime augeri oportere, sed ipsum inde etiam oriri iustissimum metum, de facile superuenientibus, sub eiusmodi circumstantiis, internarum partium nobiliorum inflammationibus, lethalem tunc euentum certissime inferentibus. Et remediorum itaque, & ipsius regiminis cauta & circumspecta habenda est ratio, vt illa temperatoria sint atque selectiora; hoc vero moderatum & non excedens atque aefluosum. Secundum haec disputata igitur *prognosis* ipsa vel salutaris ac bona, vel anceps ac dubia peiorque existit.

§. XXI.

In practicae partis explicatione nobis iam quoque verendum est in hoc Specimine iuaugurali academico, & dispiciendum praecipue, in quantum ipsa *medendi methodus*, purpurae vrticatae medicationi adcommodata, ac illa, qua scarlatinæ febri tollendæ sanandæque prospicere solent Medicis, artis suæ bene gnari, differat ac recedat, nec ne? Ex antecedentibus, fusius iam traditis, probe cognitum habemus atque perspectum, arctiore inter scarlatinam febrem purpuramque vrticatam intercedere nexum atque conuenientiam exactiorem, tam intuitu innasionum, quas vterque formare solet morbus, & symptomatum ipsorum, quam respectu etiam pathologici momenti, causarum quippe, proximæ & materialis pariter atque remotius ad genesis harum febrium disponentium, seu occasionalium. Illud enim ratione medelæ,

qua

32 De Purpurae vrticatae & scarlatinae febris &c.

qua utrisque succurrendum est, minorem omnino meretur attentionem, quod quoad ipsas maculas, sub horum morborum decursu efflorescentes, tam ratione coloris, quam intuitu ambitus, magnitudinis atque elevationis aliqualis, notabilior inter sit discrepantia, quodque in altero morbo haec exanthemata volatrica magis sint suamque stationem facilius deserentia, in altero vero constantiora; & quod demum alter morbus infantibus ac pueris tantum solennior deprehendatur, cum alter similiter quoque adultiora subiecta corripiat. Adebat fere vnius eiusdemque indolis materia peccans in utrisque, manebit ergo etiam eadem curatio, dum uterque morbus remedia posuit, praeparatam atque correctam materiam peccantem ad corporis peripheriam promouentia, indeque eliminantia. Formantur itaque & in hac febre tales eademque indicationes, quales in purpura vrticata superius iam formauimus; hac saltem subiuncta regula, vt, quoniā infantili ac puerili aetati potissimum solennis est haec febris, temperatoria ac mitius agentia feligantur exhibanturque medicamina.

§. XXII.

Quod ultimo demum loco subiiciendum est de *praeferventionis* praesidiis imperandis, hoc eo saltē generaliter reddit, ut tempes̄tive prima regio congrua ratione repurgetur a cordibus collectis, ceteraque ex hoc capite supra fūsus & clarissim iam allegata, quantum quidem in tenera tali aetate fieri potest, exactius obseruentur. Sufficiant ergo pauca haec, quae de purpurae vrticatae cum febre scarlatina discriminare ac conuenientia, intuitu modi inuadendi, causarum, medendique methodi, strictim ac breuiter commentati sumus. Faxit diuina clementia, ut qualescunque hi labores nostri aequae ac reliqua conamina quaelibet in sui gloriam, proximi vero commodum emolumentumque cedant.

T A N T V M.

170.

Halle, Med. Diss.,

5. 7. 1758.

Halle, Med. Diss., 1758



Retro





DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
PVRPVRAE VRTICATAE
ET
SCARLATINAE FEBRIS
CONVENTENTIA AC DISCRIMINE

QVAM
SVMMI NVMINIS AVSPICIIS,
IVSSV ET AVCTORITATE

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA,
SPECIMINIS LOCO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE IMPETRANDIS,

D. XIX. OCTOBR. MDCCCLVIII.

ERVDITORVM CENSVRAE SVBMISIT
IOANNES FRIDERICVS CRAMER
KERSPA - MARCANVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,

EX TYPOGRAPHIA VESTERIANA.